



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 37. Judices transferendæ Successionis tabulas conficere recusantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

Sæcul. XVI.

A.C. 1553.

§. XXXVII.

*Judices transferendæ successionis tabulas confidere recusantes.*

Cum Maria Eduardi Soror proxima Regni hæres Catholicam fidem profiteretur, juvenis Rex quadam die summo mœrore afficiebatur, ingemiscens, quod Maria ad evertendam spuriam reformationem nulli labori esset parvus; quapropter Northumbriæ Dux hacten-  
oris opportunitate usus Eduardo exponit, ejus timorem haud alio magis effaci remedio depelli posse, quam si Ma-  
ria a successionis jure excluderetur, sce-  
ptrumque ad Joannam Grajam Nurum  
suam transferretur.

Placuit hoc consilium Eduardo ad aliorum arbitrium fese demittere assue-  
to: eapropter quantocius Montacuto Curiae Præsidi, aliisque duobus Judici-  
bus, & supremo Advocato, & Pro-  
curatori præcipit, ut de successione in Joannam transferenda publicas tabulas conficerent. Verum illi percepta Regis voluntate respondebant, quod stabilita succedendi ratio transiisset in Regii Se-  
natus legem, quam violare nefas foret:  
cum autem Rex illis reponeret, quod non nisi hujus translationis formulam ab eis confici postularet, hi deliberandi spatium sibi indulgeri efflagitabant, post-  
quam

quam vero legem primo, quo Eduardus Sæcul. XVI.  
regnavit, anno conditam perlegerant, A.C. 1553.  
indeque probe cognoverant, quod Regius Senatus perduellionis reos declareret omnes, & singulos, qui successonis jura ad alios devolvi procurarent, quapropter hi Judices profitebantur, se absque læsæ Majestatis crimine huic translationi suffragari haud posse. Ea re Northumbriæ Dux gravi ira commotus Judices atrocibus injuriis affecit, parumque abfuit, quin eos verberibus exciperet, rursus tamen eosdem die decima quinta Junii adesse jussit, cum autem omnia, si sine Senatus auctoritate fierent, irrita fore reponerent, Rex asperis verbis respondit, se mox Senatores convocaturum, velle tamen, ut ipsi translationis acta conficerent, sique omnia ad confirmationem expedita fierent. Evidem hoc Regis mandatum Judices gravi timore percellebat, atque Montacutus præ ceteris primus Regis voluntati cedere statuit, eoquod speciale ab Eduardo mandatum accepisset, vicinus hoc negotium perficere jubebatur, nec minus ceteri quoque omnes exceptis duobus, vel tribus, de transferendo Angliæ sceptro scripturam conficiebant, spe freti, se per Regias literas, quibus suo officio functi declararentur, ab omni metu liberos futuros.

Pp 2      §. XXXVIII.